

C. B. D.

De

SALUTIS CER- TITUDINE.

*Ex precepto Acad. Constitut: & decreto Vener: Ampli-
Facultat: Theologica,*

MODERATORE

DN. ENEVALDO SVEN.

S. S. Theol. Doct: primario Profess. &
Aboensis Ecel: Pastore,

*Paucas has theses ante introductionem suam pu-
blicæ disquisitioni submittet*

NICOLAUS TUNANDER.

In Auditorio majore d. Maji An. 1668.

A B O Æ,

Excudit PETRUS HANSONIUS Acad. Typ.

SALE OF THE
PROPERTY

OF THE
ESTATE OF
MORRISON

DR. ENRIQUE ALDO
S. S. Theal, Jr., Auctioneer
Auctioneers, 11th Floor

Place for the sale of the
property of the

NICOL AUSTRUM

In addition to the

A. S. O. E.

Real Estate



Salus æterna à nullo hominum, summa licet sit & perfectissima vel cognosci potest vel adpeti naturaliter; Bona enim tam gratiæ quam gloriæ quæ diligentibus se reservavit Deus, in nullius hominis cor ascenderunt; vel ratione cognitionis & intellectus, vel desiderii & voluntatis. 1. Cor. 2. 7. 8. Sed ex sola divina revelatione, supposita creatoris immensa misericordia & Christi satisfactione, huc adspiramus; Adparens namq; divina gratia, erudivit nos ut abnegata impietate, justè pieq; viveremus in præsentī seculo, sic expectantes beatam spem & apparitionem Magni Dei & Salvatoris qui dedit seipsum pro nobis Tit. 2. 11. 12. adde c. 3. 4. 5. vid. etiā Cas. Danh.

2. Geminam a. salutem constituere Scholastici, primam quam purè gratuitam dicebant, & completam quam nostris imputabant meritis, ut videre licet apud Canum Relect. de Sacram. Saniori tamen mentē postea Sotus & Bannes se explicuerunt. Mirari ergò lubet cur inepta illa Cani distinctio Gisberto Voëtio adeò placuerit, ut in Animad. adcur. Exam. Batelier eam resumeret.

3. Salutis hujus quanta sit certitudo, heic ut ferunt, tantum non consumptæ acutis doloribus vires, inquirere placuit. Si namq; nulla fidei firmitas ut volunt adversarii, frustra salus nobiscum ex ea toties inculcatur, frustra item fides sperandarum rerum substantia appellatur Heb. 1. Et mereri videtur argumentum considerationem, primò quidem propter atrocem Adversariorum contumeliam, quæ Dei misericordiam & peccatorum remissionem infami dubitatione traducunt; deinde etiam ob ingenii humani labem qua omnes homines non aliter sumus, in

spiritualibus potissimum, ad dubitationes proni, ac si sceptici videamur nati. vid. 2. Cor. iii. 14. de judæis quid scribat Apostolus. Nec quidquam nobis, filiis diffidentia, citius persuadebitur quam exuta certitudine, de rebus fidei ad morem primorum parentum Eccles. 7. ult. & discipulorum Christi Luc. xxiv. fluctuare. Cujus rei hodieq; quam optamus frequentiora domi peregreq; inter atheorum, Deistarum profanorumq; convictus, & sermones habemus exempla, quibus corruptæ carnis suggestionibus, non invitus se sociantes aliæ maligni spiritus, subjectum illustrandum vix ac ne vix quidem permittent divina meditari citra opinionem diversam vel saltem dubiam: Et tamen Lucas suum Theophilum cap. i. 4. certam vult habere notitiam eorum de quibus informatus erat.

4. Est a. certitudo salutis alia objectiva alia subjectiva, ita enim nunc placet distinguere, quamvis non nesciam videri quibusdam vocem certitudinis quæ mentis est attributum, cogitationem conscientiamq; involvens, à proprio significato ita detorqueri. Memini tamen optimis Theologis adlatam distinctionem non improbari.

5. Dicimus a. objectivam certitudinem, firmum esse nexum causarum salutis inter se, de qua heic non agimus, ut indubiam eam supponentes.

6. Subjectiva a. est mentis affectio quæ de judiciis suis affirmativè aut negativè factis, sic est persuasa ut statuat eadem ita rebus, super quibus formata erant, convenire, ut de contrario non sit sollicita.

7. Subdividitur a. ea variè, nobis nominasse suffecerit. Et 1. in Formalem quam Metaphysicam nonnulli amant nominare; Atq; Adhæsivam quæ moralis aliàs vel Physica dici solevit. 2. Distinguitur rerum respectu circa quas versatur, quarum, quæ in mentis nostræ actionibus

reperi-

reperiuntur, Experimentalem constituunt certitudinem; Quæ v. extra mentem existunt, vel intuitivam, vel scientiæ vel fidei. 3. in Humanam & divinam; illam vocamus, in hac materia quando salutis media ritè sunt adhibita, & inductione applicationis singulorum probata. Hæc ex Spiritus S. intrinseco sensu internaq; confirmatione cognoscitur. 4. Deniq; in Absolutam & Hypotheticam.

8. Moralem quod adtinet certitudinem, eam statim rejicimus; Nescit n. Theologia fidem probabilem. Namq; ad actus fidei duæ concurrunt propositiones, quarum neutra absq; certitudine suscipietur sine vacillatione fidei, nec humanum intellectum præter certitudinem quidquam constringet. Principia a. illa fidei hæc sunt. Deus verax seu ipsa veritas est: ipseq; ea locutus est quæ fidei proponuntur.

Quæro nunc, si probabile esset quod Deus verax foret, maneret nè fides stabilis? Aut si fluctuaret reliquum principium quod nec formale minus nec minus necessarium unde constantiam firmitatemve haberet fides?

9. Sed quoniam dicitur licere etiam probabilibus adsentiri, quæro si inductiva tantum fuerint probabilia, relinquent ne illa formidinem? atq; si hanc etiam conscientiam planè incertam? Sic certè videtur; Nam si ex Feti sententia verum est, certum & cretum literarum transpositione tantum differre, incertum id notabit quod decretum non est. Quod a. decretum non est, ad sententiam mentis planè nihil pertinet, sonabitq; incertum idem quod in mente non est, vel ab ipsa non judicatum.

10. Excutiamus etiam si placet probabilitatem; Hæc a. præter putantium & argumentorum numerum nihil prorsus habet firmi, ut firmant Montall. lit. Prov. & Rachel.

super eodem argum. Item Caram. in Theol. Mor. Fundam. atq; Bar. Herb. in tract. quatenus verit. opponitur verosim. probab. & fals. Si verò multi illi erraverint idone' sequendos dixeris? Non credo certè, saniorum n. sententia est cum paucis potius quam multitudine insani-ente sentire. Argumentorum a. si admiraris copiam, talia velim esse cogites qualis consensus est qui multos permoverit. Numera a. nunc si lubet plurima argumenta, quorum dimidiam si senseris partem solutam, num reliqua te movebunt? Et si fortè fortuna quæ supererant solvuntur, credo nullo plane moveberis; omnia æstimans æque probabilia, ubi cuncta perspexeris soluta. Nec his firmiora credo tibi persuadebis quæ solvi posse confidis, licet non dum soluta; inesse nempè omnibus vim quæ firmum sufflaminare potest ad sensum.

11. Neq; n. quidquam hic interest, plures sint an pauciores, faciliores an difficiliore solutu sententiæ, ut volunt Moralistæ, tu modò credas omnes posse solvi, ita namq; semper adest cur non firmiter credas.

12. Super hac salutis certitudine acres fuère in concilio Trident. contentiones, quas nobis plures reliquerunt, præpui sunt Segio Hendricus Dellingæ in 8. latinè editus; Et Sfortia Pallavi: Jtal. Romæ impressus, atq; his prior fideq; dignior Pet. Soave Polanus, ficto nomine dētctus, quorum censuram, integram ut credo, suscepit Cæs. Aquin.

Certabant namq; Dominicus à Soto & Amb. Catar. ex Dominic. familia Religiosi, super veritate gratiæ; an possit homo in hac vita fidei certitudine cui non subesset falsum, scire, se gratiam Dei æternamq; salutem consecuturum? vid. lib. Dom. à Soto de natura & gratia, in concilio compositus, ut eorum omnium quæ Sess. 6. in hoc puncto fuerant decreta esset commentarius.

13. Statuit autem Soto hæresin, esse, cum Luthero cõptam quod justificans fides plena sit in mente fidelis certitudo de remissis propter Christum peccatis, addebatq; non paucorum consensu arrogantiam id esse & superbum peccatum.

14. Adversus hunc surrexit Catar. non minore adstipulantium numero munitus; contendens justificationem quidem ab hac fiducia non proficisci, justificationem tamen posse, imo debere certò & sine hæsitatione statuere se esse in gratia.

Fuit autem hæc disputatio inter eos non solum ante celebrationem 6. Sess. sed etiam postea, editis evulgatisq; decretis.

15. Attulit deinde And. Vega Franciscanus, tertiam opinionem in medium, scilicet esse in hac controversia nullam quidem temeritatem, sed nec certam fidem, adeoq; licere sine peccato, conjecturali niti persuasione. Hujus autem sententia quod non abiret longissimè ab ipsius Dominici, facilis erat inter eos compositio, proindeq; illi lociatâ operâ Catarinum & Anthon. Marinarum oppugnarunt. Sed exitu non alio, quàm ut adduceretur Vega rationibus ex S. codice petitis ut tantam ultrò largiretur certitudinem, quæ dubitationem excluderet, fallereq; nesciret. Noluit tamen, ille suam concessam certitudinem divina niti fide sed humana tantum & experimentalis; Simili quodam semet explicans, ut calorem habens, certus est se eum habere; ita gratia donatus sentit eam, nec quidquam de præsentia ejus dubitat, sed humano non divino sensu.

16. Catarinus autem cum sociis hac confessione noluit sibi esse satis, suam ergò sententiam in hunc modum explicuit

plicuit: Eidem eam qua apud se statuat fidelis se esse justificatum, esse utiq; divinam, eandemq; Catholicam dici posse modò revelationes fideli in particulari factæ à tota Ecclesia fuerint receptæ.

17. Post multas tandem ultrò citroq; habitas contentiones ea usus est Cardinalis S. crucis dexteritate, ut adendo detrahendoq; eum poneret modum qui utriq; placeret parti, quiq; hodie inter decreta concilii Sess. 6. c. 9. his verbis extat: sed neq; illud asserendum est, oportere eos qui verè justificati sunt absq; ulla dubitatione apud se statuere, quod sint in gratia; Neminem tamen à peccatis absolvi nisi qui certo credat se absolutum esse ac justificatum; hâcq; solâ fide perfici justificationem, & qui hoc non credit, is de Dei promissis deq; mortis & resurrectionis Christi efficacia, dubitat; sic quilibet dum se ipsum suamq; infirmitatem respicit de gratia sua formidare potest & timere, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se grâtiâ Dei esse consecutum, Hactenus decretum.

17. Ex hac ambiguitate loquendi factum est, ut uterq; contendendum adsereret pro sua parte loqui concilium, idq; editis libris durante adhuc concilio propugnaret. Et fatendum ex Patribus concilii quosdam huic quosdam alteri assensos fuisse, imo quosdam statuisse rem sibi non liquere, editum tamen esse decretum impulsu aliquo nescio quo supremo, vid. Cas. Aquin: Legatorum etiam alter S. crucis dixit se à parte esse Catarini, alter verò Montanus sibi tertiam placere sententiam. Qui eventus omnibus spem adimit mentem concilii adsequendi, quando eo tempore inter ipsos de sensu decretorum non conveniebat.

18. Castigationem quoq; meretur canon XIII. cujus verba ita habent: Si quis dixerit omni homini ad remissionem peccatorum consequendam, necessarium esse ut credat certò & absq; ulla hæsitatione, peccata sibi esse remissa, anathema sit. Quod perinde est ac si diceret creditor, se sperare solutionem debitorum quia eam jam accepit.

19. Tres sententias vel ut vocat errores super hoc puncto recenset Bellarm. l. 3. de justis, quæ ibi possunt videri. Ultimam autem cap. 1. Sic explicat: Tertia inquit sententia quæ communior in Ecclesia est, non tollit quidem omnem formidinem, tollit tamen omnem anxietatem & hæsitationem, imo ipsam etiam dubitationem. Pone autem ille cap. 2. Hunc controversiæ statum inter nos & Pontificios: utrum debeat aliquis sine speciali revelatione certus esse certitudine fidei divinæ, cui nullo modo potest subesse falsum, sibi remissa esse peccata. Et respondet cap. 5. Omnes Theologos docere non posse hominum in hac vita habere certitudinem fidei de sua salute; exceptis iis quibus Deus speciali revelatione hoc indicare dignatur. Concedit a. eam certitudinem quæ oritur non ex imputata justitia sed ex charitate bonorumq; operum experimentis, eamq; moralem & conjecturalem vult nominandam. Longè autem aliter lib. 2. de gemitu columbæ cap. xi. sub finem ait: Liberalissimus Dominus qui dixit, oportet semper orare, quiq; donat amicis suis voluntatem semper orandi & orandi sicut oportet, sine dubio exaudiet eos & conservabit illis misericordiam suam donec in cœlesti patria coronet eos.

20. Quid autem de morali certitudine tenendum, jam supra dictum est, eam nempe plus habere incertitudinis quam
firmi

firmitatis: cumq; eam intuitu nostræ sanctitatis vult nixam esse, liquidò constat quàm ea sit lubrica, nam Paulus 1. Cor. iv. rotundè pronuntiat se in hoc quod nihil sibi sit conscius, non esse justificatum. Certè ad Gal. v. v. 4. meram ostendit dubitationem exurgere tam justificationis quam glorificationis, si a conditione nostræ dignitatis pendeant; excidistis inquit gratia &c. Quod argumentum Augustana confessio artic. 20. fusius exaggerat. Dicitur quidem Moses Heb. xi. 26. Israelitarum ærumnas prætulisse delicatæ Ægyptiorum vitæ intuitu futuræ retributionis, sed non dicitur eam retributionem ita certam habuisse ex suis operibus aut sua dignitate sed præstandæ retributionis certitudinem spectavit ex veracitate promittentis.

21. De tertia illa Bellarm. sententia memini quoq; agere Fratres Valenburgios in de unitate & Schismate, & ita quidem ut illam sententiam cum protestantibus conciliare conentur. Contendunt namq; illi nos non requirere jam amplius in homine justificato eam certitudinem cui nullum subest falsum, ideo, quia non requirimus fidem specificam qua in Evangelio de hujus vel illius individui salute aliquid sit nominatim definitum; sed urgere nos tantum fiduciam aliquam generalem.

Verum fallit concors illud pars fratrum & fallitur. Quis enim unquam nobiscum hoc requisivit ut de Caij aut Seij justificatione, renovatione & salute deniq; seorsim aliquid exprimeret scriptura? Hoc ntiq; & antea semper urserunt nostri & urgent hodieq; ut fides salvifica præter notitiam & adensum, singularem etiam fiduciam contineat, qua quilibet fidelis sibi applicat & ad se pertinere certò statuit divinam gratiam & Christi meritum: Neq; enim salvator Math. ix. 2. Paralyticum sanans satis habuit illum genera-
liter

liter credere eam esse ejus omnipotentiam ut peccata remittere & morbos curare potens esset; sed hoc requisivit ut crederet sua peccata sibi remittere suumq; morbum sanare, & posse eum & velle. Ideo dicit Apostolus si Tuo ore agnoveris Jesum, inq; Tuo corde credideris, salvaberis Rom. x. 9. adde Gal. ii. 20, 2. Tim. iv. 7. i. Joh. v. 10.

22. Vanissima ergo est distinctio quam passim adhibent Pontificii inter certitudinem fidei & fiducia quasi illa Dei auctoritate nixa, non dubitationem solum sed & metuenda opposita excludat; Hæc autem præter divinas promissiones propriam etiam hominis adplicationem complectens, minus sit ad securitatem introducendam idonea. Nam etiam fiducia non detrahendam esse certitudinem, evidenter probat Apostolus allato jam dicto Rom. x. 9. & passim alibi. Estq; hic unicus modus quo fides justificat, apprehendendo nimirum modo instrumentali & applicando in individuo offerendoq; divinam gratiam & Christi meritum.

23. Scribunt deinde iidem Valenburghii nos sententiam Catarini in concilio propositam approbare, quem tamen negant statuisse illi fidei speciali de propria justificatione non subesse falsum. Et certè quatenus Catarinus concedit spiritum S. operari in cordibus credentium eam securam firmitatem quæ fallere nescit, non possumus in tantum ejus sententiam improbare, quippe Scripturæ S. convenientem Eph. i. 13. Rom. viii. 16. 2. Cor. i. 21. Nam decreverit licet concilium neminem posse ea certitudine cui non subesset falsum, scire se Dei gratiam habere, lubricè tamen & ridiculè decrevit, duas contrarias sententias con-

jungendo, ut nempe utriq; tam Dominico quam Catarino fieret satis; Tam evidentes enim erant rationes Catarini tantoq; consensu stipatæ ut concilium illis non auderet contradicere.

24. Deniq; damnamus in iisdem quod scribant Spiritum S. quidem testari in cordibus fidelium quod sint filii Dei, esseq; hoc testimonium infallibile; interim tamen non cognosci posse infallibiliter à quoquam fidelium num provenit ille impulsus à Spiritu S. proindeq; nec posse quemquam sine hæsitatione de salute sua statuere; sed quæso qua ratione cordibus fidelium præberetur testimonium, cujus tamen ipsi non essent conscii? Aut qua ratione testimonium ipsum dicendum esset infallibile si non posset sine hæsitatione cognosci? Cum is qui testimonium illud per actum mentis, hoc est impulsum suum introducit, idem quoq; obsignet hanc fidem esse secundum promissionem Evangelii conceptam vid. 2. Cor. 1. 22. Eph. 1. 13. & 14. 30. Gal. 4. 6.

25. Ab hac Pontificiorum diffidentia propè admodum abesse videntur Arminiani, laudantes in Coll. Hag. fluctuationem illam fidelium num perstituri sint in bono ad finem vitæ? Videri fortassis possent emendasse hunc nævum in Declarat. Sent: ad Artic. 5. Ubi vera quædam & genuina reperiri non dissimulandum; Sed extant quoq; non pauca alia, & cum primis quod perseverantiam fidelium referant non ad promissiones fœderis sed ad officia fœderatorum, quod ipsum certitudinem de qua quærimus, à nostra dignitate nostrisq; meritis gravi errore suspendit.

26. Superfunt Calviniani in altero extremo peccantes, suis fidelibus certitudinem absolutam ex peremptorio Dei decreto constitutam, promittentes. Quare etiam nulla

eorundem peccata ut ut atrocissima & repugnante conscientia admissa, mortalia volunt dicenda; Nec iisdem fidem extinguere aut Spiritum S. expelli; Sed omnia hæc, una adhuc sede collocari posse, impiam mentem statumq; sacrum. In tantum deteriores quibusdam Scholasticis, statuentibus habitum fidei, spei & charitatis, naturaliter quidem cum moroso & mortali peccato posse consistere, non autem moraliter & positiva Dei lege; Quod hi etiam voluntatem Dei negent impedire tam pulchram societatem. Horrendum dictu profectò! Quasi propitia voluntate complecteretur sanctissimum Numen impuros quosq; adulteros, fornicatores, idololatrias &c. quos Apostolus Eph. v. 5. à spe & hæreditate cœlestis gaudii, planè excludit donec verà pœnitentia ad Deum & meliorem frugem redeant.

Dicit quidem Rondeletius adversus Costam Jesuitam, pluresq; alii, fideles gratia excidere non esse impossibile simpliciter & absolute ut Deum mori: Esse tamen impossibile respectu Dei eligentis; Atq; sic conditionem admittit, sed eam quæ ad naturam absoluti accedit. Alius tamen Lamb. Velthuisus Tract. 2. de prædest. sic scribit: Certi possunt esse fideles de sua salute modò in fide perseverent, modò velint ipsi ut Deus ipsis sit præsens, & à fide si non desciverint. Sed hoc nomine à censore suo malè audit.

27. Quam erraverit Latermannus Exerc. de præd. exponendo super hac materia locum ad Rom. viii. 35. De custodia tantum ex parte Dei, non autem de certitudine salutis relativa, quoad hominem renatum, satis notum.

28. Certitudinem autem salutis nos firmissimam statuimus; diffidentiam & dubitationem planè excludentes.

Non quidem quasi unicuiq; , qualis qualis sit, persuasum velimus, eum vitæ æternæ fore hæredem; Sed unicuiq; verè credenti, ac in salvifica fide perseveranti, hanc latam damus spem. Hypothetica enim est & non absoluta hæc certitudo. Col. 1. 23. Christus vos exhibebit immaculatos coram se, si tamen in fide stabiles permanseritis & fundati, adde Heb. 3. 14. Nuspiam promisit Deus salutem absolutè, quin sedulam potius piàmq; sollicitudinem injunxit. 1. Cor. 10. 12. qui stat videat ne cadat. Rom. 11. 20. si desistas, noli altum sapere. Phil. 2. 12.

29. Nititur hæc certitudo à parte quidem Dei, ipsius fidelitate & veritate, vel ut scribit Bern. Sern. 3. de sept. fragm. Adoptionis charitate, promissionis veritate, & redditionis potestate. Heb. 10. 23. fidelis est qui promisit. 2. Christi merito, quo eà benigna Patris voluntas nobis est parata. Rom. 3. 24. 25. Rom. 3. 32. 3. Spiritus Sancti in cordibus fidelium inhabitatione, oblatione & testificatione. 2. Cor. 1. 22. Eph. 1. 13. Rom. 8. 16. 1. Joh. 5. 6. 4. Sacramentorum & ministerii institutione, quorum hic finis est, ut quæ in promissionibus Evangelicis proponuntur generaliter, heic, ut omnis tollatur dubitatio, ad singulos applicentur. Gal. 3. quot quot baptisati estis Christum induistis. Math. 24. 27. accipe, ede, & bibe in peccatorum remissionem. Math. 9. confide filii, Luc. 7. fides tua te salvum fecit.

30. A parte autem nostra, confirmatur salutis certitudo, Præsentis fidei veritate. Et dignoscitur veræ fidei præsentia ex sensu & conscientia credentis. 2. Cor. 13. vos ipsos probate. 1. Joh. 5. 20. qui credit in filium, habet testimonium in se ipso. 2. cor. 4. 16. internus homo renaturatur

vatur indies. Nos ad reliqua hujus argumenti progressuri, fonticis incommodis prohibiti, & paucitatem hanc & alia quæ minus cunctis placebunt, sollicitè excusamus.

Coroll.

Conciliari possunt Augustin: c. 13. de corrept: & gratia sic scribens: quis ex multitudine fidelium, quam diu in hac mortalitate vivitur, in numero prædestinatorum se esse præsumet? occultari id opus est in hoc loco, ubi cavenda elatio, ut etiam per Angelum satanæ ne extolleretur tantus colaphizatus sit Apostolus. Atq; Hulsei. Ext. Brev. cap. 14. Sup. §. 9. Electus qua talis, quo ad esse & cognosci non innotescit citra peculiarem Dei revelationem, in cujusquam mortalis notitia, nisi sub finem vitæ. Et Chem. in Exam. Con. Trid. de fid. justif: Non verum est neminem verè credentem, ex verbo Dei sine peculiari revelatione, certò posse statuere, se esse in numero prædestinatorum.



